



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

Vtrum magis pertineat ad liberalem dare quàm accipere? 4

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38762**

644 QVÆST. CXVII. ART. IV.  
liberalitate, secundum quod se habet ad dationes.  
Non enim dicitur aliquis liberalis ex hoc quod sibi  
aliquis donat.

ARTIC. IV.

593  
Inf 9. 119  
a. 1. ad 2  
et 3 Et 4  
eth. co. 3.

c. 1. ante  
med to. 5

Ibid.

lib. 4. c. 1.  
tom. 5.

Ibid.

*Virum ad liberalem maximè pertineat dare?*

**A**D quartum sic proceditur. Videtur, quòd ad libera-  
lem non maximè pertineat dare. Liberalitas  
enim à prudentia dirigitur, sicut & qualibet alia vir-  
tus moralis. Sed maximè videtur ad prudentiam  
pertinere diuitias conferuare. Vnde & Philosoph. di-  
cit in 4. Ethic. \* quòd illi qui non acquirerunt pecu-  
niam, sed susceperunt acquisitam ab alijs, liberalius  
eam expendunt, quia sunt inexpertri indigentia. Er-  
go videtur quòd dare non maximè pertineat ad libe-  
ralem.

¶ 2 Præterea, De hoc quòd aliquis maximè inten-  
dit, nullus tristatur, neque ab eo cessat. Sed libera-  
lis quandoque tristatur de his quæ dedit, neque etiam  
dat omnibus, vt dicitur in 4. Ethic. \* Ergo ad libera-  
lem non maximè pertinet dare.

¶ 3 Præterea, Ad illud implendum quòd quis ma-  
ximè intendit, homo vitur vijs quibus potest. Sed libe-  
ralis non est petitiuus, vt Philosoph. \* dicit in 4.  
Ethic. cum per hoc posset sibi præparare facultatem  
alijs donandi. Ergo videtur, quòd maximè non inten-  
dat ad dandum.

¶ 4 Præterea, Magis homo obligatur ad hoc quòd  
prouideat sibi quàm alijs. Sed expendendo aliquid,  
prouidet sibi; dando autem, prouidet alijs. Ergo ad li-  
beralem magis pertinet expendere, quàm dare.

S E D contra est, quòd Philos. \* dicit in 4. Ethic.  
quòd liberalis est superabundare in datione.

R E S P O N D E O dicendum, quòd proprium est  
liberalis vt pecunia. Vfus autem pecuniæ est in emis-  
sione ipsius. Nam acquisitio pecuniæ magis assimilatur  
generationi, quàm vsui. Custodia verò pecuniæ, in-  
quantum ordinatur ad facultatem vtendi, assimilatur  
habitu. Emissio autem alicuius rei, quanto fit ad ali-  
quid

quid distantius, tanto à maiori virtute procedit: sicut patet in his quæ proijciuntur. Et ideò ex maiori virtute procedit quòd aliquis emittat pecuniam dando eam alijs, quàm expendendo eam circa seipsum. Proprium est autem virtutis, vt præcisè tendat in id quod perfectius est. Nam virtus est perfectio quædam, vt dicitur in 7. Phys. \* Et ideò liberalis maximè laudatur ex datione.

*li. 7. com.  
27. to. 2.*

Ad primum ergo dicendum, quòd ad prudentiam pertinet custodire pecuniam, ne surripiatur, aut inutiliter expendatur. Sed utiliter eam expendere non est minoris prudentiæ, quàm utiliter eam conseruare, sed maioris: quia plura sunt attendenda circa vsum pecuniæ, qui assimilatur motui, quàm circa conseruationem, quæ assimilatur quieti. Quod autem illi qui susceperunt pecunias ab alijs acquisite, liberalius expendit, quasi existentes inopiæ inexperti: si propter solâ hanc inexperientiam liberaliter expendere, non haberent virtutem liberalitatis. Sed quandoque huiusmodi inexperientia se habet solum sicut tollens impedimentum liberalitatis, ita quòd promptius liberaliter agat. Timor enim inopiæ ex eius experientia procedens, impedit quandoque eos qui acquisierunt pecuniam, ne eam consumant liberaliter agendo. Et similiter amor, quo eam amant, tamquam proprium effectum, vt Philosoph. dicit \* in 4. Ethic.

*l. 4. c. 1. a  
m. to. 5.  
in corp.  
ar. 2. ar.  
prac.*

Ad secundum dicendum, quòd sicut ÷ dictum est, ad liberalitatem pertinet cõuenienter vti pecunia, & per consequens conuenienter dare: quod est quidam pecuniæ vsus. Quælibet autem virtus tristatur de contrario sui actus, & vitæ eius impedimenta. Ei autem quod est conuenienter dare, duo opponuntur, scilicet non dare quod conuenienter est dandum, & dare aliquid inconuenienter. Vnde de vtroque tristatur liberalis: sed de primo magis, quia plus opponitur proprio actui: & ideò etiam non dat omnibus. Impediretur enim actus eius si quibuslibet daret. Non enim haberet vnde alijs daret, quibus dare conuenit.

Sf 3 Ad

Ad tertium dicendum, quòd dare & accipere se habent, sicut agere & pati. Non est autem idem principium agendi & patiendi. Vnde quia liberalitas est principium dationis, non pertinet ad liberalem, vt sic promptus ad recipiendum, & multo minus ad petendum. Vnde versus,

*Si quis in hoc mundo vult multis gratus haberi,  
Det, capiat, quarat, plurima, pauca, nihil.*

Ordinat autem ad dandum aliqua secundum conuenientiam liberalitatis, scilicet fructus propriarum possessionum, quos sollicitè procurat, vt eis liberaliter vtatur.

594  
Sup. q. 58

ar. 12. ad

1. & q.

117. a. 2.

ad 3. &

a. 3. ad 2.

Et inf. q.

157. a. 1.

cor. et 3.

d. 27. q. 2.

a. 4. q. 2.

cor. Et

ma q. 13.

a. 1. cor.

fn.

\* q. 58. a.

9 et 1. 2.

q. 60 a. 1.

2 & 3.

† a. prae.

ad 2.

\* q. 30 &

31.

Amb. li.

1. de Off.

c. 28. in

prin. to. 1

Ad quartum dicendum, quòd ad expendendum in seipsum natura inclinatur. Vnde hoc quòd pecuniam quis perfundat in alios, pertinet proprie ad virtutem.

#### ARTIC. V.

*Vtrum liberalitas sit pars iustitia?*

**A**D quintum sic proceditur. Videtur, quòd liberalitas non sit pars iustitiae. Iustitia enim respicit debitum. Sed quanto est aliquid magis debitum, tanto minus liberaliter datur. Ergo liberalitas non est pars iustitiae, sed ei repugnat.

¶ 2. Præterea, iustitia est circa operationes, vt supra habitum est\*. Sed liberalitas est præcipue circa amorem, & concupiscentiam pecuniarum, quæ sunt passiones. Ergo magis videtur liberalitas ad temperantiam pertinere, quàm ad iustitiam.

¶ 3. Præterea, ad liberalitatem pertinet præcipue conuenienter dare, vt dictum est †. Sed conuenienter dare pertinet ad beneficentiam & misericordiam, quæ pertinent ad charitatem, vt supra dictum est\*. Ergo liberalitas magis est pars charitatis, quàm iustitiae.

**S**ED contra est, quod Ambrosius † dicit in 1. de officijs, iustitia ad societatem generis humani refertur. Societatis enim ratio diuiditur in duas partes, iustitiam scilicet, & beneficentiam, quam eandem libe-